



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quid de missa sentiendum est?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

cdx contra diabolum. Exhibet sanguinem, ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus pœnitentiam, & fide intuentibus in mortem & resurrectionem Christi, & credentibus propter hunc mediatorem Deum uerè propitium esse, uerè nobis ignoscere, nos exaudire, & inuocantibus hac fide Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, et pro tanto beneficio gratias agentibus. Hec concurrere in usu necesse est. Nec prodest ceremonia sine pœnitentia & sine fide.

Quid de missa sentiendum est?

Sacramenta extra usum à Christo institutum, non sunt sacramenta, ut si quis aquam baptismi circumferret, etiamsi uerba adderet, theatrico more, nequaquam esset baptismus, & is cultus esset impius, ita cum ex cœna Domini fit oblatio, item cum applicatur pro uiuis & mortuis, nequaquam est sacramentum à Christo institutum. Cum autem sacrificuli in missa offerant panem & uinum sine ullo mandato Dei, & applicent pro uiuis & mortuis, fugiendæ

fugiendæ

fugiendæ sunt tales missæ tanquam idolatricæ.
Nec opus ipsum potest alijs mereri remissionem peccatorum, quia oportet singulos accipere remissionem peccatorum gratis propria fide quæ nititur **C**hristo, non ullius humani operis merito. **P**ugnat igitur applicatio pro alijs, cum doctrina de fide. **D**enique non magis est sacramentum in missa papistica, quàm **T**urcica aut Iudaica circumcisio, est sacramentum. **D**ixit autem cœlestis uox, **F**ugite idolatriam.

